



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Karoli III. Imp. præceptum pro Ecclesia Lugdunensi, datum ad  
deprecationem Liutardi Episcopi Vercellensis & Bernardi Marchionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**



poribus absque cuiuslibet subtractione in potestate Pontificum ejusdem Ecclesie permaneant, ut Deo largiente Præsules ac clerus ejusdem casæ Dei pro anima genitoris nostri ac genitricis seu fratris nostri Karoli gloriosi Regis necnon & nostra Domino attentius preces assiduas fundere studeant. Ut autem hæc nostræ restitutionis auctoritas nostris futurisque temporibus inconvulsa permaneat firmitatemque omnem obtineat, manu propria illam roboravimus, & anuli nostri impressione insigniri iussimus.

### KAROLI III. IMP.

*Præceptum pro Ecclesia Lugdunensi, datum ad deprecationem Liutardi Episcopi Vercellensis & Bernardi Marchionis.*

Hæc carta, quæ est de Ecclesia sancti Stephani Lugdunensis, dicit quod hæ villæ, Colonicas, Filtiliacum, Caduliacum, quæ sunt in mandamento de Vireu, in pago Salmoriacensi sunt & in episcopatu Gratianopolitano.

Anno Christi  
835.

**I**N nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri Iesu Christi. Karolus divina ordinante providentia Imperator augustus. Si fidelium nostrorum raris petitionibus aures nostræ pietatis accommodamus & eorum utilitatibus consulimus, imperiali celsitudini operam damus, & ob id eorum animos nostræ fidelitati promptiores exhibemus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesie & nostris præsentibus scilicet atque futuris quoniam ad deprecationem dilecti nobis Liutardi venerabilis Episcopi & Bernardi illustrissimi Marchionis concessimus Ecclesie beatissimi protomartyris Stephani Lugdunensis, cui venerabilis Aurelianus Archiepiscopus



epus præesse dinoscitur, Ecclesias cum villis omnibus ad eas pertinentibus in pago Lugdunensi sitas, pro remedio animæ nostræ, conjugisque, ac prolis, longo jam tempore ab ipsa Ecclesia alienatas, videlicet foris murum ipsius civitatis Ecclesiam sancti Laurentij cum beneficiolo ad illam pertinente, Genoliacum quoque villam cum portu & mercato habentem capellam & mansos inter absos & vestitos triginta tres, cum omnibus ad ipsam pertinentibus, Dagniacum etiam habentem capellam & inter absos & vestitos mansos triginta, cum omnibus quæ ad eum aspiciunt. Contulimus quoque Ecclesiæ sancti Hyreni ad stipendia Canonicorum ibi deservientium pro aterna remuneratione in Lupertiaco mansos tres, in Vibaco mansum unum, in Monte mansos duos, & in Cabaniaco mansos duos. Volumus quoque ad præfatorum fidelium nostrorum deprecationem præcepta à nostris statuta patris, piissimis videlicet Imperatoribus Augustis Lothario atque Karolo, eorumque filiis Lothario atque Karolo Regibus, necnon & consobrino nostro Ludovico Rege, nostræ auctoritatis alio præcepto confirmare, quod & fecimus. Et hoc præcepto confirmavimus, in pago scilicet Lugdunensi Nantuacense monasterium & Saviniacense cum appendiciis suis, & in eodem pago immunitatem villæ urbanæ juxta civitatem, & Ansam villulam in usum fratrum, Acaulanum, Calicumque, & Cortennacum, & villam Egenam, vicumque Ambariacum, atque Belliniacum, Luperciacum etiam, & Cotiacum, cum appendiciis earum & famulis utriusque sexus. In pago Viennensi villam Turnonem, & Liviam, & Lucennacum, cum integritatibus suis. In pago verò Salmoriacense & Gratianopolitano Colonicas, & Fistiliacum, Cachiliacum quoque villas, cum pertinentiis suis. In comitatu Scutiacense Morgas villam cum immunitate



& appendiciis suis. In pago verò Brionenſe Piſnacum villam cum omni integritate. In pago verò Auguſtudunenſe Canchacum villam cum ſuis appendiciis. In pago etiam Belnenſi Polmarcum villam cum omni integritate ſua. Et in comitatu Portuenſi Flaviacum & Pocetum villas cum earum appendiciis. In pago etiam Cavillonenſi Montanum villam & Vilare atque Servellam cum appendiciis ſuis. Volumus ergo, ut ſuprà diximus, quæ ibidem ab antecceſſoribus noſtris jamdictis aut largita ſunt aut reddita, ſeu ab aliis cujuſcunq; ordinis viris collata ſunt, vel deinceps Deo propitio conferentur, ſub noſtra immunitate firma & ſtabilia perfeverent. Præcipientes ergo jubemus & jubendo præcipimus ut nullus iudex publicus vel quiſlibet ex judiciaria poteſtate in Eccleſias aut loca vel agros ſeu reliquas poſſeſſiones memoratæ Eccleſiæ, quas moderno tempore infra ditionem imperij noſtri legaliter poſſidet, vel quæ deinceps in jure ipſius voluerit divina pietas augeri, ad cauſas audiendas, aut freda exigenda, vel manſiones aut paratas faciendas, vel fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ extra rationem diſtringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ ſuprà memorata ſunt penitùs exigere præſumat; ſed liceat memorato Archiepiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus res ſupradictæ Eccleſiæ quieto ordine poſſidere & nobis fideliter deſervire, & pro nobis, conjuge, proleque, ac totius imperij noſtri ſtabilitate Domini miſericordiam non negligant exorare. Et ut hæc auctoritas noſtræ munificentiæ ſemper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu propria ſubter firmavimus, & anulo noſtro inſigniri juſſimus.

Signum Karoli ſereniſſimi Imperatoris auguſti.  
Amalgerius notarius ad vicem Leutardi Archie-  
cancellarij recognovit.



Data XII. Kalendas Iulij anno Christo propitio  
v. imperante Domino nostro serenissimo Karolo Im-  
peratore Augusto, in Francia verò anno imperij eius  
primo.

Actum Stirpiaco villa in Dei nomine, Indictione  
tertia.

**PRÆCEPTVM LVDOVICI**  
*Regis quod fecit Ecclesiæ sancti Stephani  
Lugdunensis, & dicit quòd Colonicas & Fi-  
filiacum & Caduliacum villas, quæ sunt  
in mandamento de castro Virevo, in pago  
Salmoriacensi sunt & in episcopatu Gratia-  
nopolitano.*

**I**N nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ludo-  
vicus divina ordinante providentia Rex. Si fide-  
lium nostrorum sanis justisque petitionibus aurem  
nostræ serenitatis accommodamus, eorumque utili-  
tatibus præstando subvenimus, regiæ dignitatis ope-  
ram damus, & ob id eorum animos nostræ fidelitati  
promptiores immo ferventiores exhibemus. Itaque  
notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac  
nostris præsentibus atque futuris quoniam deprecæ-  
tione & hortatu sive consilio gloriosissimæ genitricis  
nostræ Hermengardis & pro sincerissimo Aureliani  
didascalii nostri obsequio concessimus Ecclesiæ bea-  
tissimi protomartyris Stephani Lugdunensis, cui  
idem venerabilis Aurelianus Archiepiscopus præesse  
dinoscitur, Ecclesias villasque cum omnibus ad eas  
pertinentibus in pago Lugdunensi sitas, ut ipse bea-  
tissimus protomartyr pro nobis & pro nostris geni-  
toribus ac avis & proavis intervenire dignetur, vi-  
delicet foris murum ipsius civitatis Ecclesiam sancti

Anno Christi  
892.